

P R D



1 6 1 8



Valentinus Andreas Miller,  
Cancell. Hal. Sax. M.  
April 1670.

Xm 6 Q

INDEX HORUM MISCELLANEORUM  
MEDICORUM.

- I. Quaestiones cum conclusionibus ac problematis p. N. Candida-  
tis Doctoratus. I. De Pleuritide.  
II. De Epilepsia  
III. De Apoplexia
- II. Thematia medica de morbis contagiosis, de Scorbuto, de Ictero  
de de illaribus ex capite, de Evacuacionum generibus. sub  
D. Peucero M. Alberti  
2. M. Zeeman  
3. Dracsstedt  
4. M. Connerding. Mittelb. Ho 1574. IX. Cal. May  
5. M. Heilandt.
- III. Propositiones de Hydrose  
de Pleuritide  
de Pleuritide. sub D. Peucero. M. Summer.
- IV. Theses medicae de Vertigine. Paralyfi.  
Epilepsia. Convulsione. sub D. Sebastian  
H. Foffelius  
H. Horn  
H. Torf Schmidt  
H. Tanderus  
H. Willeberg. d. 3. oct. Ho 1600.  
H. Plinius.
- V. De Catarrho, de Sanguinis per Infirmam reiectione, de Albu-  
mine, Synteria sub D. Hellenbachio M. Schultzius  
M. Belfer Witte  
M. Sennert berg d. 3.
- VI. De Catarrhi natura ejusq. curatione p. Knobloch. Julij  
Tuninger Heidelberg. Ho 1608. sub D. Lucio M. J.
- VII. Medica febris in causas, signa amotione inq. nephri-  
tidor gelatis sub D. Schrotero Conerus. Jena. Ho 1615.

l. l.



- IIX De Matricis praefocatione de Menstruum praefocatione sub  
 D. Tandlero. Kröf. Hettendach & H. Cademann & Witte,  
 de Berga Anno 1614  
 IX. Dysenteria Natura & cura. Janichius. Basilea. Anno 1616.  
 X. Praefectione Vind. Curatione Vind. D. Bauffluff & Vind.  
 Roth & Vind. D. Martini Fieberus Anno 1601.  
 XI Tractatus de Art. Briti de Kobreuteri. Leucopetrae  
 Anno 1603.  
 XII. De Podagra & Cheiragra sub D. Hettendachio. ~~Pfenn~~  
~~M. Paulus~~ M. Paulus Krinsol, Schattenbergius Witte,  
 Tenberga. d. 23. Augusti Anno 1605.  
 XIII. De Signorum discretionem sub D. Coco Paulus Rein,  
 Solous Anno 1604. Witteb.  
 XIV. Disputatio Anatomica secunda sub D. Varo  
 Nestlerus d. 10. Aug. Jena. Anno 1604.  
 Manuscripta sequuntur.  
 XV. Theses Medicae, quibus quo morborum Tempore  
 purgandum sit explicatur sub D. Sennerto M. Pau,  
 lus Krinsol d. Witteb. Anno 1602.  
 XVI. Regimen Contagij praesantis D. Krinsolius, ipse  
 d. Witteb.  
 XVII. De Sulphure. Anno 1601.

F. I. S. I. S.

VI. 6

DISPUTATIO  
DE  
CATARRHI  
NATVRA EIVS-  
QUE CURATIONE

*Quam*  
D. O. M. A.


PRÆSIDE  
*Amplissimo Viro,*

Dn. IOANNE IODOCO LUCIO HEI-  
delbergensi, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Physio-  
logices Professore, Botanico, Anatomico, & Fa-  
cultatis Medicæ Inclytæ Decano

*Publico Medicorum examini subijcit*

M. IOHANNES **Schneider** CRIMNIZENSIS  
MISNICVS

*Ad diem IX. Ianuari.*



HEIDELBERGÆ,  
TYPIS Iohannis Lancelloti,  
*Acad. Typographi.*

MDCCVIII.



VIRIS MAGNIFICIS, AMPLITV-  
DINE, GRAVI AUTORITATE, PRÆCLARA  
plurimarum rerum experientia, singulari prudentia, vi-  
tæ integritate, omniumq; virtutum laude Clarissimis, In-  
clutæ Reipub. Lipsiensis Consulib. & Senatorib. Dnn.  
Fautoribus & promotoribus suis summis, & in æiter-  
num colendis.

**S**ingularis vestra, Viri Magnifici & Amplissimi & c. Patroni submissè ob-  
servantissimi, humanitas ac benevolentia erga laudandarum artium stu-  
dia, gnarosque earum cultores quanta sit; quanta item in iuvandis, fovendis  
& promovendis his promptitudo, in ore meherclè quorumvis est, vereque testā-  
tur, non sine magno commodo illam ipsam abundè satis hæcenus experiri qui-  
bus contigit. Omitto plurima, tam in Parentem meum unice carum, quam  
in me meosque omnes plena atque prolixa manu collata commemorare benefi-  
cia, splendida, adeo magna, ut recompensandis iisdem nos impares lubentes in-  
genue profiteamur. Eorū tamen ne planè videretur oblitterata memoria, sym-  
bolum aliquod solummodo grati ac memoris animi quā ratione exhiberem ego,  
MAGN. & AMPL: V. V. gratiam & favorem ulterius promereri quo lice-  
ret, anxie cogitavi. Occasionem tandem aliquando qualem qualem nactus sum  
in florentissima Academia Palatinā matre fecundissima, nutrice fidelissima,  
virorum omnium facultatum præcellentium: Medicos præcipue nomino, quo-  
rum veneranda canicies, gravis autoritas, multiuga scientia, singularis ex-  
perientia cum mirā humanitate & stimulum addidit, ut Amplissimo artis  
Medicæ studio diligentius incubuerim, & eò me pertraxere ut quicquid eius  
in me nunc est, haud exiguā partē me ipsis debere libere asserere nō erubescā.

Accurato & perpolito eorum iudicio meam hanc de Catarrho medita-  
tionem subieci, eamque Magni: & Ampl: V. V. inscribere ac dedicare volui,  
rogans obnixè ut fronte serena accipere, nec tã ex vestra vel suā dignitate meti-  
ri, quā offerentis animo aestimare dignemini, meque ex his intelligatis culto-  
ribus, qui Diis lacte & mola tantum salsa litant, non habentes thura.

Salvete ac valere Iusticia vindices, vera laudis Magnifici Patroni,  
Deo ter-Optimo ter-Maximo commendati, atque me favore vestro, ut ante  
hac, ita in posterum prosequi nequitquam desistite.

Magnif. & Ampl. V. V.

Observantiss.

M. IOANNES Schneider

Autor & Respondens.



DE CATARRHI NATVRA  
EIVSQUE CVRATIONE

THESIS I.



CATARRHVS, quē Iernam & matrem  
foecundissimam quam plurimarū, imò  
ferè omnium in corpore humano æ-  
gritudinum haut incommodè cum e-  
munctæ naris Medicis quis dixerit,  
modo *ρέυμα* & *ρευματισμός*, modò *κατα-  
συγμός* Græcis, Latinis his fluxus seu  
defluxio, illis fluctuatio seu inundatio, non rarò destil-  
latio dicitur.

II.

De hoc disquisitionem instituturis nobis ne vocabu-  
li homonymia imponat, aut, quod Galeni est, cauillatio-  
nes pariat, triplicem significatōnem allegamus: Commu-  
nissimam, pro quacunque à capite ad partes quasque tam  
supra quàm infra caput facta materiæ defluxione: Com-  
munem, pro destillatione ad nares, fauces & palatum:  
Propriam, ad solum palatum per os spuitione sola facta ex-  
cretionem: quorum alter utpote nō ad modum strictus nec  
nimis amplius præcipuè huic *συζητήσεται* <sup>καὶ</sup> *διαλέξεται* genera-  
liter sit adæquatus.

III.

In quo Catarrhum defluxionem præter naturam  
humoris excrementitij é capite in partes subiectas de-  
cumbentem describimus.

IV.

Generis locum defluxio obtinet: additur cui, præternaturam, ad differentiam eius, qua cottidiè materia quædam debito modo è cerebro per loca conuenientia secundum naturam destillat.

V.

Excrementitii humoris nomine pituitosum, eumque vel sincerum, vel cum sanguine, bile & melancholia permistum volumus intellectum. Catarrhum tamen melancholicum vix aut rarissimè reperiri censemus: tum, quod humor is ad fluendum non adeò sit idoneus, tum, quod collectus in capite figatur ibi potius, aliosque pariat morbos.

VI.

Subiectum adæquatum, quod artis nostræ D D. locum affectum seu partem mandantem indigitare consueverunt, nullum aliud, quàm cerebrum statuimus.

VII.

Hoc ipsum quippe, naturâ frigidioris humidiorisque temperaturæ cum fiet, multoque ob molis magnitudinem alimento egeat, quin etiam situs ratione plurimas suscipiat euaporationes, addo, alimentum copiosius vel non satis congruens pro nutritione quandoque attrahat, excrementa progenerare plurima nulli forsità est dubium.

VIII.

Ac sic defluxio hæc ad symptomatum classem referenda venit, cum sit symptoma ex mutato exeunte & actione læsa. Quod enim excernitur, vel substantiæ totius, vel quantitatis, vel qualitatis, vel vtriusque vicio, negotium cerebro facessit.

IX.

Motum & fluxum intueri quod si lubet, erit actio læsa ex deprauatarum numero: denotat scilicet motum inordinatum excedentem, cum ille excrementi delapsus nec debitum obseruet, nec conuenienti aliquando loco recipiatur.

X.

X.

Per partes subiectas seu recipientes à nobis quid innuatur potissimum, nulli, nisi qui theorema secundum illectum reliquit, poterit esse ignotum.

XI.

Peculiariora igitur Catarrhus à loco, in quem decumbit, sibi acquirunt nomina. Etenim si è pelui & glande cerebri pituitaria hiantia per & patula palati foramina ad pectus defluat, Catarrhi specialiter dicti, si ad fauces decubat, Branchi, per ossa sin Ethmoidea vocata ad nares destillet, Coryzæ nomine insigniri solet. quinimò & alias in alias corporis partes per meatus ex Anatomica administratione manifestos sese insinuans fortitur appellationes.

XII.

Materiæ quoque atque adiunctorum ratione apud Autores aliæ occurrunt Catarrhi differentia, dum alius calidus, frigidus alius, vterque vel tenuis vel crassus; dulcis alius, falsus, acidus, vel etiam insipidus, alius mitis, suffocatiuus alius, quidam continuus, interpolatus quidam & periodicus &c. nuncupatur.

XIII.

A causa præterea Catarrhum per essentiam interdum, quando à solo per se affecto cerebro oritur: interdum per consensum, quoties vicio inferiorum fit partium dici meminimus. A tempore demum incipiens, consistens & declinans vocitatur.

XIV.

Causarum agite inquisitionem nunc aggrediamur, quarum externæ seu procatartica à rebus non naturalibus vsu hætenus in scientia Machaonia desumi consueverunt. Tales sunt, aër calidior & frigidior, æstus solis, sub Lunæ radiis mora diutior: his annumerantur, Austri caput grauantes, itemque Aquilones, tusses moventes & fauces exasperantes, frigida quoque, vt nix & glacies, tempus hyemale.

A 3 XV.

## X V.

Succedunt his cibi potusque superflui, flatulenti, vaporosius, somnus immoderatus, maximè pomeridianus, & is, qui à cibo statim inicitur, vigiliæ, coitus nimius, otium, exercitium intempestivum, balnea crebriora ab iisque subita in frigidius mutatio, excrementorum vacuari consuetorum retentio suppressioque, ira in super, furor, excandescencia, aliaque omnia innumera ferè, quæ corpus cacochymicum efficere possunt.

## X V I.

Antecedentes causæ in cerebri intemperie, ventriculi itemque jecoris potissimum sunt repositæ. Cerebrum namque calida laborans intemperie, id quod Hippocrates dicebat, instar cucurbitæ humores ex infernis ad se arripit: frigidius autem minus alimenti sui concoctionem probè perficiens excrementorum copiam congerit.

## X V I I.

Ventriculus verò & Hepar intemperatiora, præterquam quod impura copiosiora, vinci & regi vix quæ possunt, alimenta impertiuntur, vaporibus caput aggrauant, cranij densitate & frigiditate qui congelati materiam præbent catarrhalem.

## X V I I I.

Coniuncta, est humor ut plurimum pituitosus, in cerebri sinibus & ventriculis, præcipuè anterioribus, collectus, & hinc lacessitæ facultatis expultricis vi ac fortitudine ad pectus, fauces & nares proximè destillans, quandoque spontè defluens.

## X I X.

Signa sequuntur *διαγνωστικά*, patientis nimirum dispositio, sternutationes sepius reiteratæ, capitis grauedo, tussicula, spuitio, pruritus & quædam titillatio in naribus & gutture, secundum quod materia ad hanc vel illam  
partem

partem fluit , aliaque plura in differentiarum signis iam commemoranda.

X X.

Ac in catarrho quidem propriè dicto , cum aliis salivatio est copiosior , in tenui tenuis, in crasso crassior : Brachio adest raucedo cum faucium asperitate. In coryza , si crassus subest catarrhus , ossa Ethmoidea ferè obstruuntur : si tenuis , aqueo & tenui humore , interdum exulcerante , nares perpetuò stillant.

X X I.

Calidum quæ innuunt catarrhum videntur desumenda ex faciei , oculorum , & partium fluxionem quæ suscipiunt, calore, rubore, substantiæ tenuitate, falsedine, amaritudine, acrimonia, foetore, particulæ erosione. Adest capitis dolor, arteriæ temporum distentæ sunt, pulsant multumque moventur. Urinæ apparent magis coloratæ, juuant frigida, lædunt calida. Quod si ætas iuuenilis, temperamentum, anni tempus, regio, aëris constitutio, victus ratio consenserint, defluxum calidum esse erimus eò certiores.

X X II.

Frigidi contraria sunt signa , nempe, capitis gravitas, extensio citra calorem ac mordacitatem, citraque faciei ac oculorum rubedinem, frontis faciei que pallor, ad somnū inclinatio, excrementi crassities, aciditas, insipiditas, subdulcedo, urinæ crudæ sunt ac turbidæ : febris juuabit, si quæ supervenerit. Victus ratio, ætas, anni tempus & temperatura frigida concurrunt.

X X III.

Catarrhus mixtus & quidem calidus ratione causæ, frigidus , ratione humoris destillantis , aut é conuerso, cuiusmodi complicatio sæpe apparet, ex causarum & humorum fluentium consideratione, factaque diligenti inter se

ter se comparatione cognoscetur.

X X I V.

Propriocerebri vicio quod si excitetur malum, defluxiones magis continuæ sunt, neque aliarum partium, à quibus foueri possint, noxa percipitur offensaue. Per consensum quæ si fiant, inæqualis aderit partium intemperies, maximè jecoris calida & sicca, ventriculi frigida & humida, vti & reliquarum partium discrasia, quarum causa cruditates multiplicantur.

X X V.

Tempora ita distinguuntur. Cum tenuis, aqueus & acer destillat humor, principium est Catarrhi & summa cruditas. At verò cum paulò parcior, crassior, minusque acris fluxerit, jam tùm incipit incrementum. Quod si adhuc parcior & crassior fiat, signaque concoctionis in vrinis manifesta appareant, post statum appropinquat declinatio.

X X V I.

Προγνώσεως seu prædictionis ratio consistit in virium robore, affectus magnitudine & partis subiectæ seu recipientis dignitate. Ergò vires validæ si fuerint, corpusque benè constitutum, haut malè sperandum, periculosum, sin minus.

X X V I I.

Nullus tamen Catarrhus contemni debet, quippe quia eius vi, autore Galeno, totum languet, ac proinde vt plurimum secundum essentiam vehemens admodum, morborumque plurimorum parens est. Atque hinc cunctæ destillationes, breues alioquin, neglectæ si fuerint, longæ fieri consueverunt.

X X V I I I.

Inueterata in capite per propriam essentiam defluxio vel rarò vel nunquam curatur: vti & ea curatu difficilis

cilis. censetur, quæ cum dolore capitis existit vehementi.

XXIX.

Calidus catarrhus à causa frigida ægrè curatur: ægrius, qui à causa frigida, similiter & ipse frigidus. Calidus autem simili causæ copulatus, citiorem admittit medicinam.

XXX.

Raucedines & grauedines in decrepita ætate nullam recipiunt maturationem. Fit enim Catarrhi maturatione à calore innato, quo valde senes destituuntur propè.

XXXI.

Coryza, vt celsus habet, leue malum est: peius, Branchus: Reuma pessimum, eidem pestiferum vocatū, quod acre & salsum facillimè pulmones exulceret, vel etiā suffocationis periculum, Arculano teste, inferat.

XXXII.

Itaque porrò seu curationem commodè assequi vt liceat, materiam vtique Medicam accersere est opus.

XXXIII.

Quæ ipsa vniuersa ad tria vsitata methodo medendi instrumenta reducit, Diæteticum videlicet dictum, Pharmaceuticum & Chirurgicum: de quibus ordine, rectè, nostro iudicio, factò initio à Diætetico, cum Catarrhus non rarò ex sola victus ratione seruata arceatur, in iis præsertim, quibus ob errorem in rebus non naturalibus commissum originem traxit.

XXXIV.

Quapropter principio quiuis aëris in destillatione tam calida, quam frigida (ad duas enim precipuas referri species statuamus) vitandus excessus. Liquat enim, fundit, attenuat calidus: frigidus contra condensat, comprimit. Vndè in calido & acri Catarrho mediocriter ad frigidum vergat, vel ad calidum, frigidus si fuerit. Vitetur Austrinus, & illi cōtrarius Aquilonius, humidus, paludosus nebulosus. Summo pariter vitetur opere, ne vlla vnquã ad calorem vel frigus subita fiat mutatio. Fumus & puluis ab-

B

sit ab

fit ab ægro: ne utiquam hic sub Lunæ radiis Solisvè degat  
diutius.

XXXV.

*E'uxóμoi* sint cibi, concoctionis di gestionis que non  
duræ, sed facilis: quorum quantitas semper in cœna ta-  
men magis, quam prandio parcior sit, & in fine eorum  
quippiam vaporum è ventriculo in caput ascensum repri-  
mens offeratur.

XXXVI.

Ac in materia quidem calida abstinendum à calidis  
ab euaporantibus, falsis, à lacte, quod obest in dolore ca-  
pitis, Catarrho & cerebri imbecillitate. Utendum ptisa-  
na colata, oriza, amylo in iure pulli dissoluto: conueni-  
unt borrago, portulaca, lactuca, bugloss. Cichor. ace-  
tosa, spinachia &c.

XXXVII.

In materia verò frigida, ova sœrbilia, ius carniuna  
cum pane loto, macerato & cocto, dentur pulli assi, gal-  
linæ, & id genus, vel elixentur cum speciebus & hyssopo.

XXXVIII.

Quantum ad potum, exiguo utendum, præsertim  
materia ad huc existente cruda: imò abstinencia à potu  
(ut & cibo suo modo) in principio utilis perhibetur: nam  
procurata sitis confert. A vino, potenti in primis, cocto,  
multum dulci, turbido &c. abstinendum ante concoctio-  
nem Catarrhi; & antequam corpus ab excrementis va-  
cuatum fuerit: multos enim in caput mittit & ablegat  
vapores.

XXXIX.

Eius loco bibatur aqua hordei vel simplex, vel cum  
Coriandro, addito julepo rosar. violar. In frigido bibatur  
loco vini mulsa, maxime si tussis adsit, detergit enim & ex-  
pectorat humores: aut eius loco bibatur decoctum hor-  
dei cum Salv. & liquirit. &c.

XL.

Cereuisia ob consuetudinem, cui quandoque quid  
dandum, uti quidem licet, aliàs non, volumus autem ne  
fit vel

fit vel omnino recens, vel antiqua, vel acida, vaporosa, turbida, & quæ multum contineat lupuli. In quavis tamen materia calida siue, siue frigida fuerit, semper æger bibat calidum: frigidum scilicet thoraci inimicum est, obestque maximè expectorationi humorum.

X L I.

Morus non conuenit, nisi purgata sit prius materia Cacochymica purgatione, plethorica venę sectione: tunc & exercitia & frictiones conuenient.

X L II,

Somnus debito fiat tempore, nocturno scilicet, sit tamen parcior, neque multus in diem, aliàs verò longior sit in calido, quam vigiliæ. Hæ moderatæ competunt, si quidem exiccent, discutiant, digerant.

X L III.

Aluus sollicitanda, quoties consuetæ retineantur purgationes fecū, si id à naturâ non tentetur, arte, siue clysteribus, siue alio quouis pharmaco fieri potest. Studendum quoque inanitioni per nares & palatum: assuescendum tamen emungēdis naribus potius, quam expuitioni.

X L I V.

Absint omnes animi motus & passionēs, è memoria excutiantur fastidiosa, cogitationes continuæ. Exulent item omnia, quæ in *αεγνατα* censu antea sunt numerata, & numerari possent.

X L V.

Pharmacia Diætam sequitur; quam ipsam ductu doctorum, sequentibus, materiæ præparatione, euacuatione, fluxionis diuersione, inhibitione, partium robore & reliquiarum dissipatione, rite quis administrabit: habita tamen prius ratione minoratiuorum ad materias communes educendos præmittendorum.

X L V I.

Quare in primo statim Pharmaciæ limine primæ viæ ab excrementis, quibus scatent perpetuò eluendæ medicamen-

camentis minus validis. conuenientibus tamen, in materia simplici simplicioribus, in mixta mixtis magis.

X L V I I .

Repagulis remediorum vim remorari quæ poterāt, semotis, studiosius se accingat operi Medicus, vt crassiora attenuentur, tenuiora incressentur, à qualitate viciosa corrigantur, in hoc defigens oculos, ne humor crudus concoctionē deposcēs evacuationi reluctetur, aut infesta qualitate periculū aliquod grauius minitetur: qua in re etiam materias præparantes, si cū laude praxin exercere, marsupioque consulere voluerit, pro varietate humorum & partium consentientium variare sciat.

X L V I I I .

Calida igitur & acris materia, tempus & occasio, quæ aliàs præceps esse solet, si tul erit, temperabitur adæquabiturue syrup. rosa. violac. Nymph. papau. cū aqua lactucæ, portulac. plantag. &c. decoctisq; conuenientib. qualiū apud Practicos magna occurrit copia. Calidę crassę inter alia conueniet syrup. Glycyrrhizæ, zizyphor. de Cichor. cū Rhabarb. de Endiu. acetos. simpl. cōpos. de succo acetosæ acetositat. citri, limon. cum aqua Endiu. rosar. Borrag. Buglos. Cichor. &c.

X L I X .

Pro materia ftigida crassa viscidaue concoquenda præparandaque adhibebuntur syrupi incidentes detergētes vt syrup. de oxymel. sympl. compos. squillitic. syrup. de stœchade, de hyss. de carduo benedict. &c. Pro tenui, calidi sicci incressantes, syrup. dico. Myrtin. mel rosar cū decocto thuris, vernicis. &c.

L .

Coctâ materia infarctibusque reſeratis, humores delinquentes debellandi sunt præſidiis purgantibus. nimium, leuiorib. quandoque, quandoque vehementioribus, iisq; vel totius corporis, vel partis, videlicet solius capitis.

L I .

Vniuersalem cuacuationē exequemur, vel phlebotomia

ma

nia, vel ventris solutione cū cassia fistula aut manna dissoluta in decocto fructuū, prunorum puta, juiubar. myxorū, viol. aut cū sirup. rosar. solut. Quibus arrident pillulæ, dentur Assaieret, aureæ, vel de trib. cū Rhabarb. In frigido fiat purgatio ex mell rosar. solut. agaric. trochisc. diacantha. pillul. cochis cum agar.

LII.

Ab hac veniendū ad particularem, Medicis potius diuersionem dictam, administrandā aut remediis Chirurgicis, quæ aut sine euacuatione sensibili perficiuntur, et à membro læso trahunt ad partes oppositas, distantes tã à parte mittente, quã recipiente, vt sunt ligaturæ, frictiones, lotiones, cucurbitulæ ficcæ: vel cū sensibili & manifesta, vt sūt phlebotomia, cucurbitularum cum scarificatione & hirudinum appositio, cauteria, vesicatoria, &c. de quibus infra,

LIII.

Aut medicamentis pharmaceuticis, commendatis præcipuè, succo bliti, cum aqua violacea aut aqua hordei, decocto itē juiubar. lactucæ, &c. in calido, in frigido, succo betæ maioræ, Ireos, &c. ex vola man<sup>9</sup> narib. attracto, aqua item maiorā. vel decocto in eisdem indito camomill. nigell. &c. hac semper obseruatione, vt ab imbecilliorib. paulatim ad fortiora progrediamur. Neque sternutatoria, Apophlegmarismi & Gargarismata Medicè & cōuenienter ex materiis destinatis præparata, doctèq; pro partis deflectionem hanc vel illā suscipientis conditione vsurpata pro finis acquisitione abesse debent.

LIV.

Sed in singulis singularis adhibenda cautio. Nam quātū ad Errhina, licet illa ipsa coctā iam materia, vniuersaliqu; euacuatione expedita, in vsum vocari & eò melius, cū fluxio ad palatū, os, fit, vel pulmones, ac adhuc meli<sup>9</sup>, cū eadē partes inde læduntur, administrari possint, nocent tamen oculis imbecillioribus, naribus etiam, vlceribus & tumoribus opportunis, aut venas cum orificiis laxis obtinentib.

## L V.

Sternutamenta quoque suspecta habentur, dum cerebrum vertigini aut Epilepsiae obnoxium, vel tussis valida adest. Per os purgatoria, masticatoria, intellige, & Gargarismata, in usum vocare haut oportet, materia ad pulmones & partes spirituales descendente, eadem acuta, tenui & erodente existente, praefocationis demum periculo a materia multa & cum impetu irruente praesente.

## L V I.

Commodè tamen adhiberi posse censentur à D D. in Catarrho calido, acuto, cum incrassantibus & in frigidantibus, ut à descensu ad partes penitiores prohibeatur, & excreationi obedientior reddatur. In frigido, crasso, viscido cum attenuantibus & incidentibus, ut facilius expellatur. In Catarrho, cuius infixionè in faucibus timemus cum abstergentibus & mundificantibus. In fluxione, oculos & nares laedente.

## L V I I.

Porro fluxionis Catarrhalis à cerebro ad partes subiectas repercussioni, quam quarta pharmaciae habebat intentio, in *depergencia* regulari non coacta, nunquam ante humorum purgationem locus tribuendus, nisi ab ea largiori suffocationis periculum impendeat, aut tenniore & acriore excoriatio in narib. ore, thorace &c. aut ab utraq; tussis aspera, & insomnia immineant, aliàq; symptomata metuantur. Sic enim in principio non expectata humorum purgatione ea adhibentur statim, quae impetum inundationis sistere queunt.

## L V I I I.

Præstant id ipsum benè, bolus armena, mastiche; decoctulactucæ, portulac. capit. papau. rosar. Coriand. Excompositis, diacodium, Diapermaton Galeno frequètius usitatum, diamoron, diapapav. Diatragacanthum, Trochisci bechici ore retenti, & si quæ sunt alia eius generis, quorum varia omnino variis formis tã intus assumendis, quàm extus applicandis in lectione autorum occurrunt, & à quoli-

bet exercitato pro substātiæ fluētis qualitate, symptoma-  
tum conditione, & intentione recta, eo, quo visum fuerit,  
modo, hīc & alibi præscribi poterunt.

LIX.

Postremò sedata destillatione, ne recidiuā aliquando  
faciat materia nouiter collecta, suis appropriatis cōfortā-  
da sunt, & in temperie conseruanda viscera interiora om-  
nia, ad generationem collectionemque humorum facere  
quæ possunt. tū etiā cerebrū ipsum corroborādum, afe-  
rēdaq; relicta intēperies, ne humores ex reliquo corpore  
sibi acquirat & attrahat, vt alimētū propriū p̄bè cōficiat.

LX.

Ergo non tantum vnguentis cœteisq; frigidis admo-  
tis, sed & assumtis syrupis atq; opiatīs, ex cōseruis, bolo ar-  
menico, mastiche, terra sigillata, aut conditis ex iisdē pa-  
ratis, Electariodiamarg. frigido diatragac, &c. pro intēpe-  
rie calida vtēdum: quin & capitis lotiones aqua tepida, cui  
aceti parum penetrations gratia additur, vt postea vnctio-  
nes bregmatis oleo omphacino, rosaceo &c. cōducunt. In  
frigida cōmēdatur Theriaca, Cōs. Saluiæ, Betonic. Acori.

LXI.

Vltimum sequitur methodi medendī iustrumētū, Chi-  
rurgicū: in cuius notatione vena in Catarrho an secāda  
sit: quæritur. Eius sanē sectionē p̄hiberi hautquaquā pos-  
se cōstantissimè credimus, defluxio raptim irrepēdo suf-  
focationē si minitetur, aut eadē ad oculos, fauces, diaphra-  
gma declināte periculū immineat, nē ibi figatur & colliga-  
tur, adeoq; pleuritis anginauē subsecutura in metu sit, aut  
febrim, q̄immodicè humores calfaciat habeat annexam.

LXII.

His sic constitutis, calida acri defluxione existente,  
venis latis apparentibus, corpore robusto & ευσάρκω, virib.  
validis, nec alio impedimento aliquo præsentē purgatis  
primū communibus viis communi clystere statim ad o-  
pus deueniendum, cubiti vena tundēda, caput primariò v-  
bi

bi laborauerit, aut totum corpus, aut jecur calidius materiam communicare suspicari fuerimus.

L X I I I.

Quod si virium imbecillitas non sustineat V. S. cucurbitulis tam scarificatis, quam non scarificatis agendum, eaq; ad mouendę ratione diuersa. Ad occiput quidem, pe-  
tissimum Catarrho per essentiam ex capite ortum ducen-  
te: scapulis, brachiis, coxis, lūbis, humore à partib. potius  
inferiorib. ascendente: modò materia ad pectus nō destil-  
let, vt sic cucurbitulæ inferiorib. applicatæ eā magis eò at-  
traherent. Cōsultius ergò, tū circa occipitiū pro interce-  
ptione tum inferioribus, pro inhibitione materiæ ascen-  
sus easdem affigere. L X I V.

De hirudinib. idem sit iudiciū. Vesicatoria pariter huic  
intentioni, fluxū ipsum mirè diuertendo, profunt. Capiti  
scilicet super coronalem cōmissuram abraſo, frictione pā-  
ni asperioris tractato, emplastrū de sinapi, vel, fortius si ar-  
riferit, fermentum cantharidibus & aceto forti mistis ap-  
plicetur, dimittaturq; super locū ad tempus apertis demū  
vesicis folia caulium ad ignem parū feruefacta cū axūgia  
porcina, applicentur. L X V.

Cauteria quoq; malo post absolutas vniuersales euacua-  
tiones nō cedente adhiberi solent, pro revulsione quidem  
crurib. aut brachiis, quādo jecur primus est fons Catarrhi  
aut vētriculus malè coquēs. Sin per essentiā caput laboret,  
potest affigi cauteriū in syncipite vel occipite, vel post au-  
res, & aliquando etiam in brachio. Aut etiam seto præsta-  
ri consuevit: cauteria adhibentur, modò actualia, ferro,  
modo potentialia causticis. &c.

*Hac generaliter de Catarrho dicta sint. Plura, eaque magis specialia,  
de accidentibus que supervenire solent, palati scil. excoaratione, raucedine  
faucis, tussi, loquela difficultate &c. materia item tota substantia peccan-  
te, & p̄biori materia presidiorum dici potuissent nisi amica thesauri bre-  
uitas nos reuocasset.*

*Ipsi disquisitioni cetera committuntur.*

F I N I S.

Pla 4367.8. 4

ULB Halle

3

002 370 387



TA-OL

(Titel 16 u'


17 muß

durch Handschriften

abt. erfasst werden

17.10.99 J. Ste)

VD17



V. 6

DISPUTATIO  
DE  
CATARRHI  
NATURA EIVS-  
QUE CURATIONE

*Quam*

D. O. M. A.


PRÆSIDE  
*Amplissimo Viro,*

Dn. IOANNE IODOCO LUCIO HEL-  
delbergensi, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Physio-  
logices Professore, Botanico, Anatomico, & Fa-  
cultatis Medicæ Inclytæ Decano

*Publico Medicorum examini subijcit*

M. IOHANNES Schneider CRIMNIZENSIS  
MISNICVS

*Ad diem IX. Ianuari.*



HEIDELBERGÆ,  
TYPIS Iohannis Lancelloti,  
*Acad. Typographi.*

MDCCVIII

